

quibus omnibus et loca assignata fuerunt ante eiusdem anni magistrandos iuxta facultatis arcium conclusum.

Anno, quo supra, die Ianuarii decima quinta in convocacione magistrorum de consilio facultatis arcium sub hac forma: „Reverende magister, sitis hodie hora duodecima in stuba facultatis ad audiendum petitionem baccalarii respondentis pro loco et ad consulendum super eodem etc. — Detur omnibus de consilio sub pena non contradicendi“ — premissa responsione et probacione sue promocionis assumptus est Hieronimus Engel de Zwickavia, Cracoviensis academie bacc., qui liberaliter solvit bursam iuxta facultatis arcium solita et consueta statuta. Jan. 15.

Anno domini etc., quo supra, sub hac forma: „Reverende magister, sitis hodie hora duodecima in stuba facultatis ad audiendum propositionem magistri Pauli Swouffheym de Gorlicz volentis petere assumi ad consilium facultatis, sub pena non contradicendi.“ Et quinta feria ante Letare predictus mgr. Paulus, salvis complecionis statutis quo ad sessiones et tempus, concorditer ad consilium facultatis assumptus est et more solito quatuor dedit pro magistrorum refectione flor. März 18.

Anno quo supra, sed ipso die Epiphanie reverendus in Christo pater et dns. episcopus Mersenburgensis misit pro me decano et certis meis senioribus, ut suam gratiam in prepositura beati Thome adiremus, et inter certa longe narrationis capitula sua desideravit reverenda paternitas, ut executoribus doctoribus, a quibus sua gratia protunc facultatem arcium absolvit et liberavit certis ex moventibus causis, pro habitis tamen laboribus aliquid reverencie mercedis atque salarii daretur illis [?]. Sed tunc sue fuit obiectum gratie, quod hoc forte vergeret in magnam facultatis et magistrorum eiusdem confusionem. Neque magistri de consilio facultatis ad hoc induci poterant in facta convocacione publica eorundem, ut aliquid salarii expressissent atque conclusissent, quod fuisset huiusmodi executoribus prestandum sive exhibendum. Hucusque huiusmodi negocium indiscussum atque suspensum permansit executorum. Jan. 6.

Anno domini, quo supra, etc. quinta feria ante Anthonii sub hac verborum forma convocacio magistrorum fuit celebrata: „Reverende magister, sitis hodie hora undecima in stuba facultatis ad audiendum desiderium et commissionem domini nostri graciosi episcopi Merseburgensis in causa vicecancellariatus et propine domini Casperi doctoris medicine et ad consulendum desuper“. Conclusum fuit, ut ex speciali reverencia et propter bonum pacis una lagena optimi vini sue gratie dono et muneris loco et facultatis nomine atque dicti doctoris Casperi mitteretur, pro qua quarta feria post Valentini circiter horam octavam familiari domini doctoris Wilde octo numeravi flor., pro quibus una lagena Malmazeti comparata et transmissa domino graciosi episcopo Merseburgensi fuerat. Et ita desiderium domini graciosi atque prefati domini doctoris Casperi adimpletum erat. Jan. 14.
Febr. 17.

1501 Sommersemester. 184. Decan Heinrich Raleveshusen von Einbeck.

M 171. Decanatus¹⁾ magistri Heinrici Raleveshausen de Einbeck, sacre theologie baccalarii, de natione Saxonum. Anno domini millesimo quingentesimo primo Sabbatho ante Georgii electus fuit in decanum facultatis artium magister Henricus Raleveshusen de Einbeck de natione Saxonum, sub cuius decanatu concorditer infra scripti sunt electi officiales: Apr. 17.

¹⁾ Die Angabe des Decanates über den Einzeichnungen in blauer Schrift. Initiale D in blaugrauem Blattwerk auf viereckigem Goldgrunde. Die Füllung des Buchstabens roth, mit goldenem Muster überdeckt.